



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. V. Circa pericula animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

tius Justin. l. de SS. Martyr : expressè ait : *Magnam prorsus est Martyrii genus, utro se pro Christi amore dare periculis. Audi sine ferro Martyrem ex sola claritate morientem.* Et ideo in Romano Martyrologio 28. Febr. etiam recensentur illi Presbyteri, qui Alexandriæ, cum sub Valeriano pestis gravissima grassaretur, morbo illo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetièrunt, quos velut Martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit; de quibus etiam S. Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium l. 7. c. 16. sequens testimonium protulit: *Patribus, qui virtute erant præstantissimi, in hoc modum mortem oppetièrunt, adeò ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, et robustam fidem suscipiebatur, nihil à splendore Martyrii abesse videretur.*

## §. V.

*Tentatio V. Circa pericula anima.*

LVII. **L**iborius Parochus, cum frequenter illam tentationem animo volveret: *Difficile est inter spinas transsari, et inter illas non pungi; et calcare terram pedibus, ita ut nec lutum, nec pulvis eis adherat: Et non rorò etiam verissimam esse in seipso adverteret, dum gravissimas in Sacramentis administrandis, aliisque functionibus parochialibus obeundis tentationes periebatur; statuit se curæ animarum penitus subducere, aliúmque, qui loco suo eam suscipiat, constituere. Queritur, quomodo ab hac tentatione sit liberandus?*

Responsum

## Responſio.

LVIII. Inprimis illi ostendat ex Marchantio tr. 1. lect. 6. in virga Aaron, quòd DEUS, sicut novit hoc onus esse grave, sic & gratiam ad ferendum haud dubiè velit suppeditare; sciat item, & velit pericula temperare, & timoratis specialem protectionem impendere; sic enim protexit Abrahamum in Chaldaea, Lothum in Sodomis, Jobum inter infideles, Daniëlem in Babylone, quos omnes voluit esse perfectos in medio nationis pravæ; ut nemo animum despondeat in quocunque statu, sed potiùs se divinæ providentiæ, protectionique committat. Hinc P. Balthasar Alvarez dicere solebat, securitatem in agendo cum proximo, quando ex obedientia suscipitur, esse valde magnam, aded, ut si quis obediendi causâ infames fœminas accederet, ut illas Christo lucraretur, mundissimas haberet cogitationes, quasi esset aliquis Angelus; qui tamen si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdisibi cogitationibus ureretur. Nescio, inquiebat, quomodo quis possit tutum putare, quod à Domini voluntate recedit. *Quanam, quæso, securitas esse potest, ubi DEVS non est?* Certe Lanzizius opusc. 13. n. 443. testatur, novisse se non paucos, qui ex missionibus plurium mensium redibant magis collecti, devoti, puri, circumspecti, & regularum observantes, quàm in Collegiis fuerint.

LIX. Secundò bene illi inculcet, quòd, etiamsi DEUS non semper in ejusmodi periculis protegat à tentatione, hoc ipsum tamen ad majus meritum permittat ac præmium, id quod Marchantius lib. c. appposito exemplo ex Sophronio in cap. 3. prati spirit. confirmat, dum narrat, Cononi Presbytero Alexan-

R. §

drino

drino, cùm in mulieribus baptizandis aut inungendis gravissimas tentationes experiretur, ideoque Monasterium deserere vellet, S. Joannem Baptistam apparuisse, & dixisse; tolera, & persevera: ego te ab hoc certamine liberabo. Cùm verò ille post hanc adhortationem, puellâ valde speciosâ ex Perfida oblatâ, iterum timens scandalum, sumpto melo suo, omnino recederet, S. Joannes iterum apparuit, dixit: Revertere ad monasterium, & hoc te certamine eximam. Conone autem respondente, quomodo sperabo, quod toties pollicitus non præstitisti, respondit Sanctus: Volebam te pro hac pugna mercede donari, sed quia non vis, ecce aufero à te bellum hoc, mercede autem operis carebis; simulque ter sub umbilico signans usque ad eò omnem tentationem carnis abstulit, ut puellam illam baptizans inungens, mulierem esse non adverteret.

LX. Tertio illi significet, quòd, licet interdum ex fragilitate ipsum labi contingat, certò tamen persuadere sibi possit, etiam ob talem lapsum non esse omnittendam conversationem cum proximo, sed potius commoda longè majora, quæ inde proveniunt consideranda; id quod Marchantius l. c. ex illis Salomonis prov. c. 14. verbis ostendit: *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurima segetes, manifesta est fortitudo bovis.* Quem locum ille allegoricè sic ad hunc scopum explicat: Sicut, qui curat bobus, habet præsepe, id est, stabulum mundum. Qui autem habet boves, immundius habet stabulum, habet tamen etiam multitudinem fructuum, sic qui curam animarum non suscipit, nec in agro Domini laborat, sed totus sibi vacat, fortè habet majorem

maiozem munditiem conscientia. Sed qui boves suos jungit, id est, operas suas proximis navat, hic aliquando praesepe aut stabulum immundius habet; nam ex consuetudine hominum & negotiosa vita aliquid sordium saltem levium contrahere potest, ubertiores tamen fructus metit. Quod ipsum alii similitudine duorum globorum, quorum alter aureus, alter argenteus est, declarant; uti enim aureus facilius quidem sordibus ex aëre nebuloso aut pulvere contractis inficitur, quam argenteus, ubi tamen per ignem aut aliud instrumentum purgatus fuerit, pretiosior longè est, quam argenteus; ita & is, qui cum proximo agit, facilius quidem maculam contrahit, quoad meritum tamen & charitatem longè pretiosior & acceptior est coram Deo.

LXI. Quartè denique eidem significet, quid Christus S. Gertrudi, uti l. 4. Rev. c. 47. videre est, dixerit: Si quis amans veritatem pro illa defendenda in aliquibus delinquit, durioribus verbis, zelo impatiente aliquos corripiendo, aut alio quocumque modo, sive negligentius, sive districtius agendo, hunc ego certò apud DEVM Patrem & omnes cœli cives fideliter excusabo, quemadmodum Mariam Magdalenam excusavi; imò pro ipso universa emendabo. Et aliàs cum adverteret, cor suum debile in aliquos defectus incidere, & tamen illud DEO offerret, ut in illo repausaret, Dominus respondit: Tuum debile cor affectu tali oblatum tantò gratius accepto, quam alterius cor forte; sicut magis acceptatur bestia multâ veneratione excitata, quam domestica, eò quòd carnes ipsius tenuiores & suaviores sint ad vescendum.

§. VI.